

54
Historia Academica
GEORGIVS FRANCVS

de FRANCKENAV,

PHILIATROSOPHIS

S. D. P.

Eosdemque ad Lectiones

qva PVBlicas qva PRIVATAS

invitat atque accit

peramanter.

ALEXANDER BENEDICTVS

l. de Pestilenti Febre c. XXI. in fine

ait :

PLurimum refert in arte Medica perpetuo versari exerceriqve. Omnium tamen efficacissimum est facta atqve euenta firmiter (quod Galenus sæpe prædixit) meminisse.



94 A 7382



B. C. D.



Vi iter Romam

versus instituit, vel leviter
transiens, opus habet aliquot
hebdomadis; qui in Lusita-
niam aliquot mensibus; qui
in Americam, in Ceylon, in
Coromandel, in Javam an-
nos fere requirit. VOS autem, o DILECTISSI-
MI PHILIATRI, VOS inquam intra biennium,
triennium, aut (quod longum aliqui, sed simpli-
citer admodum opinantur) quadriennium eme-
tiemini Medicinam, quam *JANVS Damasce-
nus* recte OCEANO; comparavit? Medicinam
dico, quæ cum rerum Natura eosdem habet ter-
minos. Certum enim est Medicos

A 2

ire

- - - - - ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, cœlumque
profundum:
Hinc pecudes, armenta, viros, genus
omne ferarum

immo viscera terræ abdita scrutantur, & ad sanæ rationis experientiaque confirmatæ obrussam vigilanter nervoseque exigunt. Tam ardua est (inquit Clar. Frid. DECKERS in præfat. ad Lector. in Praxin Barbette) Medicina, ut unius hominis diligentia vix possit ad umbilicum deduci. Multa certe Veteres præstiterunt, ast vero dies diem docet, atque hoc nostrum ævum multorum quoque novorum est ferax, quibus Medicina non parum illustratur, atque occasionem subpeditant morborum, eorumque causarum rationem distinctius cognoscendi, atque accuratius curandi. Veteres paucis utebantur medicamentis, quia pauca ipsis erant cognita: Hoc vero tempore tanta est medicamentorum messis, ut fere eorum multitudine obruatur Medicus, illique propter Copiam sit inopia. Medicus ergo genuinus, ita me Musæ, qui vera scientia & conscientia bona vult esse instructus, nocturna diurnaque verset manu exemplaria

plaria Sapientum, prona patulaque aure bibat vi-
 vas vivificasque Præceptorum fidelissimorum vo-
 ces; ne nubem præ Junone amplexetur, hoc est,
 loco Medici docti, Sapientis, pii, sit fastosus me-
 dicaster, Stentor vaniloquus, imaginatione tumi-
 dus, scientia phthisicus, paucis histrio (vide Divi-
 num *COUM* in Νόμω cap. I. §. 8.) artis carci-
 nema & catharma putidum. Audiant γνήσιοι
 Artis filii salutare monitum *PERGAMENI*
 l. i. M. M. ad Glauco. cap. i. dicentis: Οτι μὲν ἔ τὴν
 κοινὴν μόνον ἀπάντων ἀνθρώπων φύσιν, ὡ
 Γλαύκων, ἐπίστασθαι χρὴ τὸν ἰατρὸν, ἀλλὰ καὶ
 τὴν ἰδίαν ἐκάστου, πάλαι τε πρὸς Ἱπποκράτους
 ὀρθῶς εἴρηται, καὶ ἡμῖν δὲ ἐπ' αὐτῶν, ὡς οἶδα,
 τῶν ἔργων τῆς τέχνης ἱκανῶς ἐσπούδασθαι
 h. e. *Non communem solum omnium homi-
 num naturam, o Glauco, sed ἑ cuiusque pro-
 priam nosse medicum oportere, ἑ ab Hippo-
 crate olim recte enunciatum est, ἑ à nobis in
 ipsis artis operibus, ut nosti, studiose observa-
 tum.* Opus ergo est hoc in Oceano vastissimo
 Nauclero prudente, qui ad clavum sedeat, qui
 cursum recte dirigat, qui Syrtes vitet, qui fugiat
 Scyllam, qui Charybdin. *Ego* (præfiscini cum
SENECA dicam Epist. IIX.) *rectum iter, quod
 sero cognovi, ἑ lassus errando non per cen-
 tum*

tum, sed per mille & plures auctores, per pra-
xin clinicam domi forisque, in pace & bello, in
aula & caula, VOBIS, O MEI, monstrabo, quod
a XXX circiter annis, DEO laudes! multis com-
monstravi, quorum opera nunc in aulis Magna-
rum, provinciis atque civitatibus laudantur. Ha-
bebitis ducem fidum, comitem amicum, qui a
teneris amavit aequae humanitatem sinceram at-
que solidam eruditionem. Δεί διδάσκειν ἀνε-
πιφθότως, μαθητὰς ἀνεπαισχύντως, juxta
Vetus illud (apud Taubmann. in lance Saturae p.
m. 155.) id est: *Docendum sine invidia, discen-
dum sine rubore.* Venite ad **PUBLICAS**
LECTIONES PRACTICAS circa pur-
gantia ac vomitoria pharmaca, quas ad **HIP-
POCRATIS** libell. de Purgantibus nuper
d. VI. Febr. redauspicatus sum, atque hora X. die-
bus solitis deinceps Philologico-Medice continua-
bo ob aëris inclementiam in aedibus meis. Ve-
nite ad **PRIVATAS!** Offero **COLLEGIVM**
INSTITVTIONVM ad harmoniam variorum
principiorum intra 3. menses finiendum. Offero
COLLEGIVM PATHOLOGICVM tam
Universale, quam *Particulare*. Offero **PRA-
CTICVM** ad M. M. vel in *Walaum*, vel
Stovalve, vel alium quemvis; aut etiam per
Casus

Casus diversos elaborandos. Offero CHEM-
CVM & CHIRURGICVM. Offero
CVRIOSVM PHYSICO-MEDICVM.
Offero aliud circa *Materiam Medicam*. Of-
fero DISPVTATORIVM; immo & proximo
vere aut æstate σὺν Θεῷ COLLEGIVM SA-
NITATIS sive *Dieteticum*, quod tam Vo-
bis, quam aliarum Facultatum Cultoribus erit
peroportunum, immo & pernecessarium: οἱ
γὰρ ἄνθρωποι ταῦτα (τὰ σιτία τὰ τρέ-
φοντα) ὀρθῶς σιτευόμενοι, ὑγιαίνουν: μὴ
ὀρθῶς δὲ κἀμύθουσιν. i. e. *Homines enim, qui
alimentis recte utuntur sunt sani; qui non
recte, ii egrotant.* Hæc dicitur Dictator Ar-
tis Salutiferæ l. π. Φαρμάκων l. 8. Et utinam
quisque sibi esset Medico, suam calleret natu-
ram & vires; non tam acerbis hujus ignoran-
tiæ sæpius lueret pœnas & in corpore & in ære,
utinam non in vita. *Ecquis vero tunc cor-
pore egrotans animi aciem ad ullam præ-
claram cogitationem poterit intendere?* re-
cte quæro cum *Nobilio FLAMINIO*
l. i. de Hominis felicitate cap. XV. pag. m. 51.
Offero L. M. Q. quod in meis est viribus, pro
talento a DEO T. O. T. M. mihi benignissime
credito, eaque æqvissimo minervali. Ani-
marum

marum autem Archiater IEHOVAH ceptis
adspiret nostris! Bene valete. Scribo e mu-
seo meo X Februar. anni, qvo Puer datus est
nobis, ∞ VII Ibc c. Vitembergæ
apud Saxonas.



94 A 7382

ULB Halle

3

002 183 692





Sb.

VD 17

21,7.99 Bd.







54

Hilf mir lesen

GEORGIUS FRANCVS
de **FRANCKENAV**,
PHILIATROSOPHIS
S. D. P.
Eosdemqve ad Lectiones
qva PVBlicas qva PRIVATAS
invitat atqve accit
peramanter.